seunt radii paralleli ; & quoniam eisdem lineis egreditur forma quibus ingreditur ; ingreditur autem forma, lineis superficiei perpendicularibus, ut hactenus dictum ; ergo egrediuntur radii, sive forma, e medio densissimo lineis perpendicularibus : Quæritur igitur sectio conica cujus omnes perpendiculares ad sui lineam sint paralleli ? talis autem est linea recta. Supponendo igitur, radios parallelos quotcunq; A,A,A, &c. in uno plano, refringi in superficie medii densissimi, & superficiem refractionis esse circulum ; radii refracti concurrent in centrum circuli B:uni igitur ex extremis est satisfactum. Supponendo etiam radios quotcunq; ex puncto B existente in medio raro prodeuntes, refringi in medio densissimo cujus superficies refractionis comprehendetur linea recta D E, omnes lineæ refractæ evadent parallelæ in medio densissimo. Si verò hi radii paralleli in uno plano medii densissimi, concipiantur in medii rarioris superficie D E refringi, (quoniam iisdem lineis egreditur forma quibus ingreditur)concurrent omnes radii A,A,A, &c. in punctum B ; atq; ita alteri ex extremis est satisfactum. Si verò,rem diligenter quis intueatur, videbit (propter prædictas rationes)omnes radios, sive parallelos, sive non parallelos, in superficiem refractionis circularem medii densissimi incidentes, in circuli centrum concurrere. Quæritur autem unde hoc proveniat ? Respondetur ; videtur hoc provenire ex eo, quod quomodocunq; ducatur linea in circulum incidens, (dummodo cum circulo in eodem sit plano) axis ipsi parallelus duci possit ; concipiendo nimirum, circulum esse ellipseos speciem, quævis illius diameter potest dici axis ; unde videtur, axem sectionum conicarum, esse lineam specialem quæsitam. Animadvertenti quoque patebit, omnes radios, in uno plano medii densissimi parallelos, non in unum tantùm, sed in quodlibet punctum assignatum, extra lineam D E, ad partes B concurrere : Quæritur etiam unde hoc proveniat ? Respondetur ; hoc videtur provenire ex eo quod, (supponens lineam rectam esse hyperbolam) quodlibet punctum extra ipsam possit sumi loco foci ; unde videtur focum esse punctum concursus quæsitum. E duobus autem focis, vel realibus, vel imaginariis, is erit punctum concursus, qui longissimè a radiorum incidentia distat, alioquin angulus refractionis esset major recto, quod fieri non potest. Hisce de extremis prælibatis medium tentemus : Si autem radios provenientes e diaphano raro in densissimum, & e diaphano